



DE JURISDICTIONE ET IMPERIO.

P R Æ F A T I O.

DE JURISDICTIONE tractaturi, iterum expedire visum est, ut Theoricorum præceptorum opiniones simul cum Practicis, & receptiori sententia conferamus: ex quo omnino credimus futurum, ut hæc materia, quæ aliàs est difficilis & plerisque omnibus confusa esse videtur, luce meridiana clarior, clarescere incipiat. Facsit Deus, ut omnia cedant ad honorem ejus & Reipublicæ salutem.

P R Æ C E P T O R V M T H E O R I C O R V M propositio prima.

LORENTISSIMUS & fertilissimus est jurisdi-
ctionis campus, sed quia parum dextrè is à multis Querela de
difficultate.
excultus est, hinc factum, ut in jure vix ullus sit,
qui segetem magis perplexam minùs expeditam,
ac commentis Interpretum magis conturbatam nobis præ-
beat, ut spinosam esse & multis errorum latebris involutam
rectè appellare possimus.